

11

DE

RELIGIONE HERMARUM.

SCRIPSIT

EDUARDUS GERHARDIUS.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM UNGER.
1845.

DE RELIGIONE HERMARUM.

Truncos quadratos lapideos, impositis capitibus et adiectis membris virilibus in numinum speciem conversos Mercurioque consecratos et graeco dei nomine hermas vocatos, a primordiis inde religionis et artis graecae usque ad infima artium romanarum tempora in usu fuisse, scriptorum monumentorumque artis fide satis constat. Quam enim Mercurii speciem scriptores veteres exemplis non paucis illustrant⁽¹⁾, Herodotus velut atticam ex Pelasgorum initiis ductam designat⁽²⁾, Pausanias Atheniensium Arcadumque consuetudini antiquitatis studiosae vindicat⁽³⁾, Themistius denique rhetor vel Daedali operibus viam munivisse opinatur⁽⁴⁾, ea ipsa quadrata et phallica statuarum forma in marmoreis antiquae artis, quae etiam nunc supersunt, paene innumeris et deorum et hominum simulacris saepissime redit. Nec defuerunt doctissimi homines, qui gravissimum illud tum artis tum religionis graecae argumentum uberius tractarent: quorum ex numero prae ceteris commemorandus est Georgius Zoega, vir eximius, obeliscorum Ae-

(1) Atticam hermarum copiam prae ceteris testatur Thucydides (VI, 27), arcadicam Pausanias (VIII, 31, 4. 39, 4. 48, 4); romanam egregie illustrat anaglyphum Vaticanum a me editum (Antike Bildw. tab. LXXX, 2), in quo venationis limites hermarum serie ornati conspiciuntur. Cf. Müller compend. archaeol. §. 67. 345, 2. 379, 1.

(2) Herodotus II, 51: *Ταῦτα μὲν γὰρ (deorum nomina) Ἕλληνες ἀπ' Αἰγυπτίων νενομίεσσι. τοῦ δὲ Ἑρμῆος τὰ ἀγάλματα ὄρθῃ εἶχεν τὰ αἰδοῖα ποιεῦντες, οὐκ ἀπ' Αἰγυπτίων μεμαθήεσσι, ἀλλ' ἀπὸ Πελασγῶν, πρῶτοι μὲν Ἑλλήνων ἀπείωνται Ἀθηναῖοι παραλαβόντες, περὶ δὲ τούτων ὄλλοι. Ἀθηναῖοι γὰρ*

(3) Pausanias I, 24, 3 ubi Atheniensium religiones exponit: *πρῶτοι μὲν γὰρ Ἀθηναίων ἐπωνόμασαν Ἑργάνην, πρῶτοι δ' ἀκόλοισ Ἑρμῆος. IV, 33. 4: ἐν ταῖς πύλαις (Μεσσηνίων) Ἑρμῆος τέχνης τῆς Ἀιτικῆς. Ἀθηναίων γὰρ τὸ σχῆμα τὸ τετραγώνον ἔστιν ἐπὶ τοῖς Ἑρμαῖς, καὶ περὶ τούτων μεμαθήεσσι οἱ ἄλλοι. Cf. Zoega obel. p. 217. Rem invertit Müllerus (archaeol. p. 46) hermarum inventores Arcades existimans, de quibus idem ait Pausanias VIII, 48, 4: *περισσῶς δὲ τι τῷ σχήματι τούτῳ φαινόνται μοι χαίρειν οἱ Ἀρκάδες.**

(4) Themistius orat. 26: *καὶ πρὸ μὲν Δαιδύλου τετραγώνον ἦν οὐ μόνον ἢ τῶν Ἑρμῶν ἐργασία, ἀλλὰ καὶ τῶν λοιπῶν ἀνδριάντων. Cf. Zoega obel. p. 218*

gyptiorum idemque hermarum graecorum⁽⁵⁾, eruditior tamen quam felicior, interpretes.

Triplex est haec de hermis quaestio, cum eorum et originem et usum et religionem novisse magnopere intersit. De origine autem hermarum ita statuit Zoega, cui praeverat quodammodo Winckelmannus⁽⁶⁾, hermas artis cuidam experimento deberi, quo primi ilique semiferi⁽⁷⁾ homines, cum integram figuram humanam effingere non auderent, illud tamen consecuti essent, ut Daedalea statuarum peritia ex primordiis illis artis paulatim prodiret⁽⁸⁾. Usum hermarum ex columellis designandorum finium derivavit, quales hodie quoque in Etruria maxime reperirentur⁽⁹⁾: quibus columellis subinde, fastigii exornandi causa, tum capitis phallicae effigies, tum cultus Mercurii vialis, postea vero Cabiria sanctitas fabulaque mystica accessisset, quam ut veram Mercurii ithyphallici rationem designavit Herodotus⁽¹⁰⁾. De religiosa autem significatione hermarum sive ad deos sive ad homines spectantibus, quibus Mercurialis illa forma sive consilio sive temere applicata sit, eo graviolem Zoega reddidit quaestionem, quo magis mysticam illam Herodoti rationem reiiciendam hermarumque et usum et significationem ad unum limitum ornamentum restringendam esse censuit.

Quod pace tanti hominis dixerim, in universa hac eius de hermis doctrina nihil propemodum fere est cui simpliciter accedere possim; immo redeundum mihi videtur ad Herodoti fidem, quae nulla est, ubi Zoegam audimus. Nam primum quidem, qui artis primordia rudesque conatus effingendae figurae humanae

(5) Zoega de origine et usu obeliscorum (Romae 1797 fol.) pag. 217

(6) Winckelmann Geschichte der Kunst I, 1, 11. 12.

(7) Scilicet cum Californiensibus, Australiensibus, Lapponibus Pelasgos comparavit Zoega l. c. p. 218, 3.

(8) Tribus gradibus Daedaleam artem antecedentibus hunc progressum lepide describit Böttigerus (Kunstmythologie II. p. 137). Cf. Müller archaeol. §. 345, 2.

(9) Zoega p. 215, 21. In agro Perusino et Tuderte frequentissimas esse confirmat Lanzius (Saggio II. p. 336 sq.). Vide imprimis cippum cum basi sua anaglyphis sepulchralibus ornatum hodieque Perusiae asservatum in aedibus Staffensibus: Gori Mus. Etr. III, 20. Lanzi l. c. p. 337.

(10) Herodotus II, 51: *δοθέν ὄν εχειν τὰ αἰδοῖα τὰγάκματα τὸν Γομῶ, Ἀθηναῖοι πρόωτοι Ἑλλήνων παρὰ Ἡελασγῶν μαθήοντες ἐποίησαντο. οἱ δὲ Ἡελασγῶι ἰόντι λόγον περὶ αὐτῶν ἔλεξαν, ἵα ἐν τοῖσι ἐν Σαμοθρακῆ μυστηρίοισι δεδήλωται.* Sacram hanc fabulam ad Mercurii Proserpinaeque amores spectantem ex Cicerone (Nat. Deor. II, 22) aliisque scriptoribus illustravit Zoega p. 219, noluit autem Herodoto suffragari, quippe qui „*non Atheniensium traditionem expresserit, sed suam tantum coniecturam.*” Cf. Lobeck Aglaoph. p. 1212 sqq.

in hermis agnoscit ab iisque initiis Daedalea opera profecta esse existimat, eum ipsa rei natura ⁽¹¹⁾ tum Herodotus ⁽¹²⁾ adversatur, qui lapidea simulacra Mercuriumque deum Pelasgorum, cetera signa deosque reliquos Aegyptiorum inventa fuisse contendit. Neque magis Zoegae in eo suffragemur, quod designandorum limitum caussa ⁽¹³⁾ hermas institutos, eosque iam ab initio aliquantum ornatos ⁽¹⁴⁾, capitis autem phallicae signis nondum auctos fuisse ⁽¹⁵⁾ censet. Obstat his denuo Herodoti fides, phallicos esse hermas ob religiosam quandam causam graviter praedicantis ⁽¹⁶⁾, nec magis favent ipsae columellae a Zoega in subsidium opinionis suae vocatae ⁽¹⁷⁾: has enim funebres fuisse usus phallicoque similem habuisse formam, quod inferni ejusque phallici ⁽¹⁸⁾ Mercurii cultum profiterentur, ex graecis italicisque id genus lapidibus abunde liquet. Restat tertia quae-

- (11) Quis enim serio dubitet eos, qui capite et phallo similitudinem aliquam humanae figurae consecuti sint, etiam crurum ventrisque lineamenta pari ruditate indicare potuisse, id si in animo habuissent? Verum caverunt hermarum inventores, ne sancti lapides pelasgicae religionis, adiectis symbolis generationis etiam sanctiores redditi, humana specie profanarentur, ideoque ad usum Daedaleum statuarum progredi neutiquam voluerunt. Adde quod Daedala idola numinibus maxime muliebribus (Veneri, Junoni, Dianae, Palladi) dicatae sunt, hermae autem ad phallicos deos spectant. Errat autem Böttigerus (Kunstmyth. II, 136), quod omnia Graeciae numina a principio hermarum specie expressa esse vult.
- (12) Herodotus verbis iam supra citatis (not. 2).
- (13) Zoega obel. p. 209: „*A stipilibus autem saxisque, quae ad confinia designanda aut furibus poenam denunciandam in agris hortisque defigere solebant agrestes homines . . . ortum traxerunt Terminus et Pales, hortorumque Tutelae, atque viales Lares cum Hermis Atticis et Cylleniorum Phalete*”.
- (14) Id coniectura auguratus est eoque parum verisimili; nam probabilius est sanctos Pelasgorum lapides quo fuerint rudiores eo sanctiores habitos esse.
- (15) Zoega l. c. p. 215: „*Cylleniorum Phales ab origine non aliud fuisse videtur quam fori indicium, meta cum capitulo ad instar pincae nucis fastigiato, uti fuere circi metae et Etruscorum sepulcrorum cippi*”.
- (16) Herodotus II, 51: ὄσπισ δὲ τὰ τῶν Καβείρων ὄργανα μεμύηται, τὰ Σαμοθράκιζες ἐπιτελέουσι παραλαβόντες παρὰ Ἑλλασγῶν, οὗτος ὄνηρ οἶδε τὰ λέγω. Sequuntur quae iam exscripsimus (not. 10).
- (17) Zoega obel. p. 215 not. 21 (Vide supra not. 9). Etruscis illis columellis formae phallicae (Gori Mus. Etr. I, 59, 3. 4) respondent quae forma plus minusve in phalli similitudinem porrecta in Bocotia Atticaque reperiuntur, id quod ex L. Rossii testimonio retuli in Annalibus Instituti archaeol. IX. p. 118.
- (18) Phallicum deorum habitum ad generationem vel ultra vitae limites continuatam spectare, docent imprimis phallica fabula Bacchi Prosymni (Paus. II, 37, 5. Clem. protr. p. 22. Zoega obel. p. 215) ususque phalli in aditu sepulcrorum sculpti. „*Priapus ego sum mortis et vitae locus*” — praeclara huc pertinet romani sepulcri inscriptio, quam ex Petri Campanae thesauris antiquariis et ipse edidi in Ephemericidd. Halensibus et copiose illustravit Otto Jahnius (Specim. epigr. p. 27. 141 sqq.).

stio de religiosa vi potestateque hermarum: quam quo graviorem magisque prae ceteris neglectam esse video, eo accuratius examinabo. Strictim eam attigisse Zoegam mirum non est, cum reiecta religiosa hermarum ratione res ipsi levior visa sit; id tamen iure mirere, virum, quo in dignoscendis veteris artis marmoribus nemo fuerit diligentior, ad explicanda tot tantaque hermarum capita, quae nec attributis nec vultibus significationem suam exprimant, sed uniformem vetustioris artis morem sequantur, nihil aliud protulisse nisi vagam eam opinionem, qua maiorem hermarum copiam a Jovis, Platonis, Phœnetis ac Bacchi quoque nominibus removenda, Mercurio attribuenda esse statuit⁽¹⁹⁾. „Mirum,“ inquit, „si hodie tot Bacchi supersint, Mercurius nullus,“ atque id recte quidem, Zoega, quamquam idcirco vultus barbatus hedera cinctos Mercurio potius quam Baccho attribui⁽²⁰⁾ noluit. Verum ut ad Mercurium referenda sit hermarum, qui nobis supersunt, pars maior, quid fiat de reliqua minore eorum parte, de qua pari fiducia definire vir idem doctissimus non est ausus?

Jam quod infectum reliquit summus Zoega, non ideo desperandum censeo, quod hermarum speciem, a Mercurio ad alios deos semel translata, ceteris omnibus diis promiscue datam esse, ipsius fortasse Zoegae, ut nostrorum hominum multorum, fuerit sententia. Rem enim aliter se habere demonstrat in magna hermarum multitudine Olympiorum numinum sive absentia sive insignis raritas: ita ut iure statuas quadratam hermarum formam non tenere cuiusvis numini applicatam, sed pro hermarum significatione ad certam quandam restrictam esse deorum naturam ac potestatem, qua declarata Mercurii Bacchique discrimen in hermis, qui nobis supersunt, facile eruemus. Lex igitur ratioque quaerenda est, cur usus hermarum numinibus aliis datus, aliis recusatus fuerit: eam ut inveniamus, Herodotum denuo evolvisse sufficiet. Illic enim cum totum hermarum usum ad Samothraciam religionem revocet, cuius cum Eleusiniis ceterisque Graeciae mysteriis ma-

(19) Zoega obel. p. 222: „*Maximam partem statuarum quadrati operis, quas olim Platonēs appellabant interpretes, post Jovis Terminales, (Phœnetes Viscontius Mus. Pio-Clem. VI, 7), nunc Bacchos barbatos dicunt, veteribus Mercurios fuisse reor*“: Zoegam secutus est Müllerus in compendio archaeol. p. 559.

(20) Zoega quoque in ea erat sententia, hederaceam coronam Mercurio ut deo pocillatori datam esse in hermis domesticis. Scilicet quod „*cuiusvis domini arbitrio multum tributum fuisse*“ suspicatur, symbolica numinum discrimina pro libitu devotionis privatae inverti potuisse existimabat.

xima fuit affinitas ⁽²¹⁾, Olympia autem fere nunquam numina quadrata specie reperiri iam asseruerim, verisimillimum fit, speciem eam a Mercurio, cui propria fuerit, ad ea numina sola translata esse, quae, si non vitae necessitate et decore, at mystica quadam religione cum ipso coniuncta et copulata erant. Ea autem numina ut accuratius definiamus, age Samothraciae religionis elementa paucis repetamus.

Numinum autem Samothraciorum quanta est obscuritas, si eius religionis origines intellectumque scrutaris ⁽²²⁾, tanta est evidentia, cum nomina solum et ambitum sacrae eorum triadis quaeris. Quadruplicem fuisse constat numinum illorum sanctissimum coetum ⁽²³⁾, in eoque cum matrix rerum Axi-eros, tum maxime dei generatores Axio-cersos et Axio-cersa ⁽²⁴⁾ una cum ministro divinae potestatis Cadmilo ⁽²⁵⁾ continebantur. Remoto numine eo cui vocabulum fuit Axi-eros, quod ad intelligentiam magis quam ad caerimonias eius religionis spectasse videtur, restant tria, quae peculiariter magis et proprie coetum divinum efficiebant atque vel ceterorum Graeciae initiorum fere omnium, etsi sub aliis nominibus lateant, praesides atque rectores habendi sunt. Triadem intelligo, quae Mercurio Libero Liberae a Mnasea, Soli Veneri Amori a Plinio ⁽²⁶⁾ adaequatur. Huius universae triadis simulacrum in nobilissimo marmore Chablaisiano, nunc

-
- (21) Triadem numinum, quae in Samothrace insula colebantur, variatis nominibus cum ea congruere, quae in Eleusiniis ceterisque Cereris Bacchique mysteriis valuit, demonstravi in tabula synoptica pelagiorum numinum, quae Prodromo meo interpretationis archaeologicae in calce tabulae II—IV. annexa est (Prodr. pag. 112 sqq. Hyperbor. Studien I. p. 34).
- (22) Vide quae post illustrem Schellingii commentarium scripsit Creuzerus (Symbolik II. p. 316 sqq. ed. 2; III. p. 19 sqq. ed. 3).
- (23) Schol. Apoll. Rhod. I, 917: *Μνοῦνται δὲ ἐν τῇ Σαμοθράκῃ τοῖς Καβαίροις, ὧν Μνασίας ἠρῶσι καὶ τὰ ὀνόματα. Τεσσαρες δὲ εἰσι τὸν ἀριθμὸν· Ἀξιέρος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος· Ἀξιέρος μὲν οὖν ἐστὶν ἡ Ἀημήτηρ, Ἀξιόκερσα δὲ ἡ Περσεφόνη, Ἀξιόκερσος δὲ ὁ Ἄιδης. Ὁ δὲ προστιθέμενος τέταρτος Κάσμυλος ὁ Ἐρμῆς ἐστὶν, ὡς ἱστορεῖ Αἰονυσόδωρος.* (Paullo aliter idem habent Scholia Parisiensia et Etym. M. p. 428, 27). Cadmilum iam ante Pisandri aetatem inter Samothraciae numina receptum fuisse, Welckeri (Kret. Kolonie p. 33. Aeschyl. Trilogie p. 242) probabilis est sententia, quam tamen improbavit Lobeckius (Aglaph. p. 1253 sqq.).
- (24) Originem et intelligentiam horum nominum (quae ab ἄξιος, ἔρωσ, ἔρση derivantur) petimus a Welckero (Aeschyl. Trilogie pag. 240).
- (25) *Κάδμιλος* i. e. *Κόσμιλος*. Cf. Welcker Kret. Kolonie pag. 31. Trilogie p. 218.
- (26) Plin. H. N. XXXVI, 4, 7: „*Scopas fecit Venerem et Pothon et Phaethontem, qui Samothrace vetustissimis caerimoniis coluntur.*” Cf. Welckeri Aesch. Trilogie p. 241 et Prodrorum meum p. 167, 13. Ceteras interpretationes veteres triadis Samothraciae vide in copiosissimo Lobeckii commentario de Samothraciis (Aglaph. p. 1243 sqq.).

Vaticano⁽²⁷⁾, superest, romanae quidem aetatis illo nec merito artis commendabili, sed quod clarius reliquis omnibus documentis complexum et lineamenta numerum Samothraciorum conservat. Manifestus enim in eo marmore est Cadmilus, qui imberbi specie et demissione phallo Mercurium posterioris aetatis refert, neque minus sunt certi aut Liber pater, barbatus is et ithyphallicus, aut Libera, quae cum utroque deo coniuncta veste longiore sexus indicium habet velatum, sed nihilominus in scapi quadrati speciem exit.

Hoc si verum est argumentum marmoris iam pridem a me explanati, dubium esse nequit, sitne Mercurius solus intelligendus in hermis Samothraciae consuetudinis an alia quoque numina eadem specie exprimantur. Atqui barbatus caput triadis Samothraciae in Vaticano marmore non Mercurii est, sed Liberi patris; quamobrem hermae barbati, qui quidem tempore artis absolutae sculpti sunt, Libero potius quam Mercurio tribui debent, quem ipsum iuveni specie et demisso phallo in marmore eodem conspicimus. Itaque caput quoque barbatus trunco quadrato impositum, quod in anaglypho Colonnensi⁽²⁸⁾ mystici argumenti ab Amore Hermaphroditi ministro coronatur, Liberi patris, non Mercurii elligiem nobis sistit: iuvenilis autem hermes, quem lauro myrtove coronatum in aditu inferorum Orpheoque vicinum vasis apuli pictura nobis ostendit⁽²⁹⁾, Mercurium potius vel Apollinem⁽³⁰⁾ Agyieum, Doriensium ut ita dicam Mercurium⁽³¹⁾, quam Bacchum refert. Id quo clarius fiat, accedit usus monumentorum artis, tum pictura⁽³²⁾ tum marmore⁽³³⁾ expressorum, in quibus non infrequens est iuvenilis Mercurius quadratae formae, caduceo palaestraeve indicibus distinctus, barbati autem Mercurii hermae, nisi vetustioris artis⁽³⁴⁾, variores sunt. Quod autem Ar-

(27) Effossum Romae anno 1823 sub oculis meis, editum est in Monumentis meis ineditis (Antike Bildwerke tab. XLI. p. 256). Cf. Hyperbor. röm. Studien I. p. 45. 101. Guignaut Religions de l'antiquité. IV. pl. CXXXI. no. 238. Ad binos Mercurios Hecatenque retulit idem marmor Müllerus in Ephemer. Gotting. 1831. no. 149. comp. archaeol. p. 483.

(28) Gerhard Antike Bildwerke tab. XLII. p. 287 sq.

(29) Est vas Blacassianum, post Panofkam (Musée Blacas pl. VII) a me repetitum in Diario archaeologico (Archäol. Zeitung 1841. tab. XIV).

(30) Apollinem in aditu inferorum sedentem ostendit etiam pictura vasis etrusci a me editi (Auserl Vasenbilder I, 34 p. 135).

(31) Vide praeceteris Zoegam obel. p. 210 sqq.

(32) Hermas Mercurii imberbis vel in vasorum picturis complures vidi.

(33) Anaglyphum hoc Vaticanum illustravit Viscontius Mus. Pio-Clem. V, 35.

(34) His accenseo hermas barbatus qui caduceo distincti in nummis Aeniorum (Müller Denkm. II, 28,

temidorus⁽³⁵⁾ quadratam eamque barbatam statuam hermen vocat, sententiae nostrae non refragatur, sed explicatur potius re aliunde demonstrata: truncum quadratum Mercurialem, non ipsum Mercurium ille intelligit, usu loquendi vel Ciceronis⁽³⁶⁾ exemplo confirmato.

Quae cum ita sint, de religiosa hermarum significatione iam ita statuere licet, ithyphallicum eorum habitum ab initio solorum numinum generationis fuisse, Mercurii imprimis, dein Bacchi quoque, qui aequae ac Mercurialis Arcadum Phales⁽³⁷⁾ Phallenis nomine solius phalli speciem habebat⁽³⁸⁾ et una cum Mercurio Cadmilo par nobile Samothraciorum deorum efficiebat. Qui cum in Samothracio coetu, id quod patet ex marmore Vaticano, ipso Mercurio secundior habitus sit, dubitari non potest, quin maior hermarum barbatorum numerus non, ut Zoega Müllerusque opinabantur, Mercurio, sed Baccho sacratus fuerit, qui Samothracii dei generatoris munera et ipse susceperit. Bacchi autem exemplum secuti ceteri quoque dii ac daemones, qui bacchicis religionibus coniuncti agrestis et arcani huius numinis socii atque participes existimantur, ea ipsa quadrata et phallica forma distinguebantur, quae Liberi patris prolixam naturam saepissime indicat⁽³⁹⁾. Itaque velut

297, 298) et in patera Hancarvilliana (Pict. II, 97) aliisque vasorum picturis (Cab. Durand no. 62. Rapporto vole. not. 225. b) reperiuntur.

- (35) Artemidorus Onirocr. II, 42: *Ἑρμῆς τετραγώνος ὁ σηροπόγων φιλολόγοις μόνοις συμμέρει.* Hermas ille intelligit, quales ut viarum portarumque ornamenta in somniantium visionibus facile occurrerant: eorum tamen prolixa barba Artemidori certe tempore Mercurium minus quam alios deos spectare poterat. Igitur de herme barbato cuiusvis numinis, non solius Mercurii sermo est, idque ut cum usu loquendi bonae aetatis congruere arbitremur, quanquam renititur Zoega (p. 222), ipse Cicero nobis persuadet.
- (36) Cicero ad Att. I, 4: „*Hermathena gratum est ornamentum Academiae proprium meae, quod et hermes commune omnium et Minerva singulare est insigne eius gymnasii.*” Intelligenda est Minerva quadratae formae; quo minus enim de Mercurio cum Minerva iuncto cogitetur, satis cavebit, quod non de Mercurio latine dictum est, sed graece de herme.
- (37) Paus. VI, 26, 3 de Cyllenis: *τοῦ Ἑρμοῦ δὲ τὸ ἄγαλμα ὃν οἱ ταύτη περισσωῖς σέβουσιν, ὁρφνόν ἐστιν αἰδοῖον ἐπὶ τοῦ βάρβρου.*
- (38) Oraculum Methymnaeis datum est apud Eusebium (Praep. V, 36): *Φαλλῆνος τιμῶσι Μιονύσοιο ζάφρον.* Ex quo praeclare Lobeckius Phallenem Bacchum Pausaniae X, 19, 2 restituit, ubi *Μιονύσον Μεγαλλῆνα* legebatur. Rem confirmant hermae barbati dionysiacy, qui in nummis Mytilenacis reperiuntur, usque loquendi, cum ipse ille Phallen, qui ligneis simulacris colebatur pari iure Phales (i. e. *φαλλός*: Toup. ad Theocr. p. 426) vocetur. Cf. Müller comp. archaeol. p. 567.
- (39) Bacchi hermarum specie expressi exempla varia enumerat Müllerus archaeol. p. 567 sq. Obvia sunt barbata id genus capita, sive simplicia (Visconti Pio-Clem. VI, 7) sive bifrontia (Pio-Clem. VI, 8): sed etiam iuvenilis Bacchus non est infrequens. Rarius is conspicitur indicio

Liberi patris, Panos⁽⁴⁰⁾ quoque et Satyrorum⁽⁴¹⁾ Faunisque latini⁽⁴²⁾, ex rusticis autem diis Priapi⁽⁴³⁾ maxime simulacra quadrata reperiuntur: Priapum vero Lampacenum esse ipsius Bacchi variatam speciem iam nemo dubitat⁽⁴⁴⁾. Noli tamen credere solos deos generatores Samothraciae religionis, Cadmilum et Axio-cersum, quadrata specie expressos esse; neque enim desunt documenta, quibus eam ipsam quadratam formam ad muliebria quoque eiusdem religionis numina transiisse pateat. Obvia est in hermibus bifrontibus deae imago cum deo coniunctae, in quibus Mercurium Hecatenque agnoscere placuit quidem Müllero⁽⁴⁵⁾; sed cum in triade Vaticani marmoris non Hecaten cum duplici Mercurio⁽⁴⁶⁾, sed cum Libero atque Mercurio Liberam deam expressam esse nobis persuasum sit, intelligenda haec ipsa est dea Libera tum in bifrontibus illis⁽⁴⁷⁾, tum in aliis⁽⁴⁸⁾ solius deae simulacris, quae hederaceis coronis⁽⁴⁹⁾ vel bacchico consortio facile definiuntur. Nec desunt in ipsis muliebribus hermibus triadis illius vestigia quam in scapo triplicis marmoris Vaticani agnovimus: nam Venus etiam, Solis in altera ea triade consors.

cornuum ut tauriformis distinctus, velut in marmore Vaticano apud Viscontium (Pio-Clem. VI, 6, 1). His si Braunii sequeris commentarium de Baccho Psilace, addendae sunt variae Bacchi imagines alatae, sive imberbes, sive barbatae, quarum una fuerit marmor nobile Vaticanum, a Winckelmanno atque Viscontio (Pio-Clem. VI, 11) Somno tributum.

- (40) Gerhard *Antike Bildw. Tab. CCCXIX*, 1. 5. Pan Baccho iuveni coniunctus ibidem est no. 2.
 (41) Sileni Satyrique hermen bifrontem ex Vaticano museo notavimus (*Descr. Romae II*, 2, 281, 34). Sileni Liberaeque hermen habes in *Monum. meis ineditis tab. CCCXIX*, 3. 4.
 (42) Faunum romanum Pani Arcadico plane respondere, iam pridem docui in libro *Del dio Fauno* (Neapoli 1825, 8).
 (43) Priapus quadratus est in Museo Regio Berolinensi (Gerhard *Berlins Bildw. I*. no. 378).
 (44) Müller comp. archaeol. §. 404, 3.
 (45) Müller compend. p. 568.
 (46) Quae Mülleri erat opinio (*Gött. gel. Anz.* 1831 no. 149) iam supra (not. 29), a nobis reiecta.
 (47) Liberae cum Libero coniunctae hermas bifrontes aliquot enumerat Müllerus (compend. p. 568). Cf. *Mus. Chiaram.* 32. *Descript. Romae II*, 2 p. 281 no. 27. 35). Huc etiam retulerim par minimum, quae ad Sabazium cultum spectare mihi videntur (*Antike Bildw. CCCXX*, 4—6), quorum tamen muliebre caput mire respondet ei, quod a Viscontio Veneris nomine praeditum est (Pio-Clem. VI, 4).
 (48) Deae Liberae corona bacchica distinctae hermae obvii sunt. Cf. *Berlins Bildw.* no. 322. 345.
 (49) Etenim alia dea quam Libera intelligi nequit in bifrontibus illis qui cum Pane vel Satyro caput muliebre coniungunt, id quod, ut his utar exemplis, fit in marmore meo et in variis Vaticanis a me commemoratis (*Descr. Romae II*, 2. p. 281 no. 38. 25). In alio meo bifronti Jovis Ammonis cum Baccho affinitas suadet ut consortem illius dei Liberam aequae atque Junonem Ammoniam nominemus.

quam ab Alcamene quondam Athenis hermarum specie sculptam esse constat ⁽⁵⁰⁾, a sculptoribus quoque romanis eadem forma non ita raro expressam esse, ex marmoribus apparet quae etiam nunc supersunt ⁽⁵¹⁾.

Jam sponte patet, quadratam hermarum formam, quae et Mercurio et ceteris diis in Samothraciorum mysteriis cum illo coniunctis data sit, a Mercurio ad deos hominesque Cyllenio deo coniunctos vel consecratos, a Samothracio autem coetu Mercurii Liberi Liberae ad alia quoque numina transiisse, qui, quae est variarum religionum affinitas, physicam rectorum mundi potestatem pari evidentia ut in Samothracia religione expresserunt. Hinc autem hermarum ad unum omnium, quorum numerus non in iis quae hactenus dixi continetur, explicationem repeti oportere arbitror. Hermae enim, qui deos hominesve Mercurio consecratos expriment, vel graeco ex usu notissimi sunt, neque exempla desunt, italica praesertim, alterius illius generis numinum, quae ob physicam potestatem quadratam Samothraciorum deorum speciem ostendunt.

A Mercurio igitur derivandi sunt hermae eorum numinum, quae illi tanquam terminali aut palaestrico aut inferno deo coniunctissima sunt: quare Juppiter et Terminalis ⁽⁵²⁾ et infernus ⁽⁵³⁾, Minerva ⁽⁵⁴⁾ et Hercules ⁽⁵⁵⁾, iuventutis exempla.

(50) Pausan. I, 19, 2: ταύτης σχῆμα μὲν τετραγώνον κατὰ ταῦτα καὶ τοῖς Ἐκβάσις.

(51) Marmor Albanum quod huc spectat (Winckelmann Storia delle arti. I. tab. 1) crura divisa ostendit; perfectior est quadrata species in idolis eis, cui Veneris imago aliquoties innititur. Vide commentarium meum de *Venere-Proserpina* (Faesulis editum a. 1826).

(52) Jovi Terminali nomine inscriptus est hermes prope Ariminum effossus quem illustravit summus Borghesius (Bullettino dell' Inst. 1831 p. 182 sqq.), idemque numen referunt numi familiarum Cacciliae atque Terentiae; sed rariora haec sunt ideoque aliter explicanda quam Böttigero visum est, cui hermas omnes a Jove lapide derivare placuit (Kunstmythol. II. p. 137).

(53) Jovem infernum, cuius simulacra Bacchicarum imaginum leges sequuntur, tum in Serapidetum in Ammonem agnoscere licet, quorum iugata capita nuper edidi (Antike Bildwerke tab. CCCXX, 3). Ammonem quoque Bacchumque tauriformem iugatos commemoravi descriptione Vaticani musei (Descr. Romae II, 2 p. 281 no. 33). Cf. P. Campanae Opera plastica tab. XXVII.

(54) Hermathenam bifrontem hermen esse Mercurii atque Minervae, vulgaris est opinio, quam Mich. Arditius singulari commentario propagavit neque improbavit Müllerus (compend. p. 483). Eam esse solam Minervam quadratae formae tum rectius intellectus Ciceronis locus docet (not. 36) tum ex reliquis monumentis, capitolino praesertim trunco bifronti, arguere licet.

(55) Egregium solius Herculis hermen habes in Vaticano (Pio-Clem. VI, 12), Herculis cum Mercurio iugati, bacchica corona utriusque cineti, ibidem (Pio-Clem. VI, 13. Cf. Descr. Romae II, 2 p. 279). Posterius hoc imaginum genus verum Hermheraclen esse Zoegae (obcl. p. 221) fuit sententia; quod ego nomen ad solam maxime Herculis imaginem retulerim, ut Hermathenam ad solam Minervam, quanquam hermarum bifrontium Mercurii Herculisque exempla non desint. Cf. Müller compend. p. 483.

Pan et Amor⁽⁵⁶⁾ quorum luctatio celeberrima fuit, inter hermas reperiuntur, hominumque ac mulierum illustrium⁽⁵⁷⁾ simulacra quam plurima ad Mercurii quadrati exemplum sculptae supersunt, quae in templorum ianuis, in foris atque porticibus, in gymnasiis atque palaestris, in triviis atque sepulcris, denique in omnibus locis Mercurio Agoraeo, Enagonio, Clithonio sacris Athenas et ceteras Graeciae Italiaeque urbes magnopere ornaverunt: cumque ipsum morem secuti Latini atque Etrusci Jannu, simillimum Mercurio deum⁽⁵⁸⁾, solo bifronte capite truncoque quadrato expresserunt.

Restat hermarum numerus infrequentior ille, qui ob physicam, ni fallor, deorum, quos indicant, potestatem ad speciem eam ellicti sunt, quae in Samothracia generatorum mundi religione celeberrimam sanctitatem acceperat. Igitur quanquam signis Olympiorum numinum, praeter Mercurium Mercurialesque deos, hermarum species nunquam adhibebatur, consentaneum tamen erat elementorum mundi praesidibus, Apollini Dianaeque qui Soli et Lunae, Apollini Neptunoque qui velut Penates soli et aquae, Vulcano et Vestae qui igni, Veneri denique et Marti qui Genio universi verisque Cabiris aequabantur, quadratam signorum speciem non minus quam Samothraciis diis dedicare, eoque magis id agere, quo sanctior ea religio posterioribus romanae artis temporibus haberetur⁽⁵⁹⁾.

(56) De Hermopane iam supra sermo fuit (not. 30): Hermeroten habes in aerea imagine Borgiana (Zoega obel. p. 221), plures in gemmis.

(57) Graecum usum ex Alcibiadis historia notissimum (Thuc. VI, 27) repetitam habemus in romanis marmoribus quam plurimis, velut in Septem Sapientibus Vaticanis, in bifrontibus Homeri et Archilochi, Biantis atque Thaletis, Herodoti atque Thucydidis, aliisque quorum seriem praeteris offert in Iconographia Graeca Viscontina.

(58) Dico cum Zoega obel. p. 223: „*omne Graecis diis nullus quam Mercurius simillior.*“

(59) Exempla variorum illorum hermarum omnium collecta habes in Monumentis meis ineditis: Apollinis atque Dianae (Antike Bildw. tab. CCCXX, 7, 8), Tritonis atque Tritonidis (CCCCXX, 1, 2. Cf. Pio-Clem. VI, 5), Vulcani et Vestae (l. c. tab. LXXXI, 1—3. Cf. Pio-Clem. VI, 4a), denique Martis cum Mercurio barbato iugati (CCCXVIII, 1) eiusdemque Martis cum Baccho barbato (CCCXVIII, 3).